

I 2 W

1 6 0 5



✓ 00/19.

ms. No. 296.

Gesner, Jul. (Zug disputations)

—(46) Hoe, M.

K. IV. 31.

Rupertus Niesing accepit  
Jacobs Tappia.

comptur 1.13.7







AVSPICE CHRISTO  
**PRO EXAMINE**  
**CONCILII TRIDENTINI,**  
 REVERENDI ET CLARISSIMI  
 Theologi, DN. D. MARTINI CHEM-  
 NITII  
**DISPUTATIO XVIII.**

Tria poenitentiae pontificiae complectens capita:

- I. *De Absolutione.*
- II. *De Casuum reservatione.*
- III. *De satisfactionum necessitate.*

Ad διασκεψιν  
Sub Praesidio

**SALOMONIS GESNERI,**  
 SS. Theol. D. & Profess: publ. in Academia VVi-  
 tebergensi, ad diem Feb. 29. in Templo Arcis Elect.  
*Conscripita & proposita*

**M. BERGERO THEODORI**  
*Sueco-Smolando.*

2, Cor. 5. v. 19.

Θεός ἡμ ἐν Χριστῷ, κόσμον καταλάσων ἑαυτῷ, μὴ λο-  
 γιζόμενος αὐτοῖς τὰ παραπτώματα αὐτῶν, ἢ θέμε-  
 νος ἐν ἡμῖν τὸν λόγον τῆς καταλλαγῆς.

VVITEBERGÆ, Typis Meisnerianis. Anno 1604.





REVERENDIS, CLARIS-  
SIMIS ET DOCTISSIMIS VIRIS,  
REVERENDO DN: EPISCOPO,  
Dn: Capitularibus & Pastoribus diœceseos Lincopensis,  
fidelibus IESU CHRISTI in verbo veritatis  
ministris;

ET

NOBILISSIMIS AC STRENUIS  
*Viris D. IOHANNI ERICI de BUCHSHEIM/  
& D. HENRICO von Kalen de BARCKENSTEDT/  
Præsibus ac Castellanis arcis Calmariensis prudentissimis  
ac fidelissimis:*

Nec Non

Præstantissimis ac integerrimis Reipub: Cal-  
mariensis Consulibus & Civibus:

*Dominis meis promotoribus, favoribus, præce-  
ptoribus & amicis plurimum suspiciendis;*

In perpetuum gratitudinis, observantiæ &  
amoris τεκμήριον

*Ἡσθε ἱερογυμνάσματα & mei primitias demissè*

offero

dico

confecro

*M. Bergerus Theodori Sueco-Smolandus.  
Respondens.*



CAPUT PRIMUM.  
DE ABSOLUTIONE.

735.

THESIS I.

**D**E Confessione secundâ Pontificiâ penitentia parte prae-  
cedente disputatione egimus: Nunc de absolutione, casuum re-  
servatione, & tertiâ Pontificiâ penitentia parte, nimirum  
de satisfactione sup̄. OEQ̄ agamus.

II.

Capitulum VI. Sessionis IV. De absolutione duas continet partes:  
Prior de ordinario absolutionis ministro disputat: Posterior quid absolu-  
tio sit, declarat.

III.

Priorem quod attinet, ordinariè quidem, neminem posse vel debere, sine legitima vocatione, exercere ministerium verbi & Sacramentorum affirmamus: Interim verò in casu necessitatis, cuilibet Christiano, in verbo Dei, & ab ecclesiâ potestas absolvendi penitentes permittitur.

I. pars de  
ordinario  
ministro  
absolutio-  
nis.

IV.

Quemadmodum enim ecclesia de administratione Sacramentorum, laico quoq; eam, teste Hieronymo & Augustino, concedens, dispensavit: Ita etiam in casu necessitatis, deficiente ordinario ministerio statuimus agentem penitentiam & credentem in Christum, à QVOVIS CHRISTIANO, imò à SEIPSO, à peccatis verè & efficaciter absolvi posse.

V.

Hoc ipsum unâ cum Hieronymo & Augustino ex verbo Dei docet B. Lutherus, vrgens amplitudinem promissionis de remissione peccatorum factæ, non tantum Apostolis, sed toti ecclesiâ, Matth. 18. v. 18.

VI.

Imò cum in V. T. circumcisio, deficiente ordinario ministerio, cum manifesta approbatione Dei administrata sit, Exod. 4. v. 25. & 26. 1. Machab. 1. v. 63. 2. Machab. 6. v. 10. quid prohibeat, quo minus absolutio, quæ tamen propriè Sacramentum sic dictum, non est, in casu necessitatis etiam à laico administrari possit?

VII.

Simpliciter itaq; paterculorum Tridentinorum τὰ ἁπλῶς execramur, integritatem & efficaciam sacramentorum non simpliciter in verbis Christi,

A 2

Christi,



Christi, constituentium, sed etiam in Charactere, Sacerdotibus in ordina-  
tione impresso, fingentium.

VIII.

II.  
Quid sit  
absolutio.

Posterior pars Capituli de re longè gravissima agit, videlicet, quid  
sit absolutio, quæ ejus efficacia, quæ ex eâ consolatio, quomodo accipiatur,  
in quo consistat, & quo quasi fundamento ejus efficacia & consolatio ni-  
satur.

IX.

Vt autem breviter rem totam complectamur, statuimus absolutionem  
nihil aliud esse, quam ipsam e Evangelij vocem annunciantem remissio-  
nem peccatorum gratis propter Christum.

X.

Absolutio  
sit duplici-  
ter.

Hanc autem annunciationem remissionis, ut & retentionis peccato-  
rum dupliciter fieri, publicè scilicet & privatim ipsa Sacra scriptura li-  
quidissimè testatur.

XI.

I.  
Publicè.

Publicè fit absolutio per generalem concionem pœnitentiæ & annuncia-  
tionem remissionis peccatorum in nomine Christi, factam ad universum  
populum, nullâ personâ nominatâ: Quotquot enim vocem Evangelij fide  
apprehendunt, & promissionem gratiæ in verâ pœnitentiâ sibi adplicant,  
verè à Deo jam jam sunt à peccatis absoluti.

XII.

Sic πρωτόπλαστοi voce Evangelij de semine mulieris contrituro ca-  
put serpentis, sunt absoluti, Gen. 3. v. 15. Sic Deus per unicam concionem  
Petri tria hominum millia publicè absolvit, Actor. 2. v. 19. & 4. v. 12. Et 10.  
v. 43. Luc. 10. v. 6.

XIII.

Hoc modo universi etiam articulū Symboli: Credo remissionem pecca-  
torum: vel petitionem orationis dominicæ: Remitte nobis debita nostra:  
Vera fide recitantes, verissimè à Deo quotidie absolvuntur, Lutherus Tom.  
7. pag. 370.

XIV.

II.  
Privatim.

Privatim fit absolutio quando minister ecclesiæ, vel in casu necessi-  
tatis quilibet Christianus peccatori ex verbo Dei remissionem peccatorum  
annunciat. 2. Samuelis 12. Matth. 9. v. 2. Luc. 7. v. 48. 19. v. 9. & 23. v.  
43. Exod. 4. v. 25. & 26. 1. Machab. 1. v. 63. 2. Machab. 6. v. 10.

XV.

Dupliciter  
eodem li.

Eadem à contrario sensu clavis ligantis est ratio: Primò enim in ge-  
nere,





vere, quicumq; conciones poenitentiae publice sonantes de turpitudine peccatorum, & ira Dei severitate, surdis audiunt auribus, his in peccatis suis irretitis peccata ligantur, licet minister quae sint peccata cuiusq; in specie ignoret, neq; in specie taxet. Luc. 10. v. 10. & sequent. Luc. 13. v. 3. & 5. Act. 3. v. 46. & 51. Eph. 3. v. 5. 2. Thess. 1. v. 8. & 9.

gantur peccata. I. In genere.

XVI.

Deinde in specie ligantur peccata, quando servato modo à Christo Matth. 18. v. 15. praescripto, praescriptus & contumax peccator, nomine totius Ecclesiae à societate ejus excluditur. Sic Cainus ligatus est Gen. 4. v. 20. Cham Gen. 9. v. 25. Simon Magus Act. 8. v. 20. Elijmas Act. 15. v. 10. Incestuosus 1. Cor. 5. v. 1. Cujus rei mandata extant Matth. 18. v. 15. 2. Thess. 3. v. 14. 1. Timoth. 3. v. 20.

II. In specie.

XVII.

Ἐξουχία itaq; tam solutionis quam ligationis causa est Deus ipse, Gen. 3. Psal. 51. Luc. 7. Meritoria Christus Θεὸς ὁ ἰσχυρὸς Luc. 1. Zach. 9. Hebr. 9. Apoc. 3. Ἐνεργητικὴ Spiritus S. Esa. 61. Ioh. 20. & 16. οὐρανικὴ minister verbi Matth 10. & 18.

Causa absolutionis.

XVIII.

Vnde discrimen absolutionis Christi, apostolorum & reliquorum ministrorum manifestum evadit. Christo enim ἐξουσία ἡ δὲ ἀποστολική propria est Matth. 9. v. 6. Ministri tantum dispensatores sunt 1. Cor. 3. & 4. non proprii sed alieni beneficii.

Discrimen causarum.

XIX.

Hinc veteres rectè dixerunt: Deus remittit peccata principaliter: Christus meritorie: Spiritus Sanctus efficaciter: Sacerdos ministerialiter: Clavis instrumentaliter.

XX.

Grande itaq; delictum, & aeternis flammis piandum committunt Pontificij, potestatem ministerij, in αὐτῆς ἐξουσιότητος, quae non in praedicatione verbi seu Evangelij sed in charactere sacerdotali, & judiciaria functione sit fundata, vt Bellar: lib. 3. de poenit. cap. 2. absurdè contendit.

Pontificij erant de absolutione in Excessu.

XXI.

Quemadmodum autem αὐτῆς ἐξουσιᾶς hanc Pontificiam execramur, sic etiam Calvinianam extenuationem merito abominamur. Isti enim voci absolutionis nihil amplius relinquunt, quam externam saltem declarationem ejus, quod resipiscentes jam antea habeant, imò ubi rerum plane

Calviniana Extenuatio absolutionis in defectu

A 3

potiun-





potiuntur abrogant, & exstirpant, ut Zwinglius anno 1523, & Calvinus anno 1536. fecere.

## XXII.

Nec gens Calviniana his contenta, sed absolutionem ipsam insuper virulentis calumnijs proscindit, quando ipsam, additamentum scripturæ humanum, fermentum Papislicum, Antichristianum, Idolatricum, impium, vocat. Bulling: in Matth. 3. cap. Gualt. in I. ad Cor. 11. Musculus appellat eam nequissimum Satanae inventum, locorum pag. 239.

## XXIII.

Somnium hoc Enthusiasticum & Novatianum, annotante Socrate lib. 2. cap. 3. : hac cavillatione Zwinglo-Calviniani probare conantur: Deus peccata solus remittit. E. non minister verbi. E. Absolutio privata è pomerijs Ecclesiæ proscribenda.

## XXIV.

Sed rectè respondetur, subordinata non pugnare: Quamvis enim, Deus solus peccata remittit, hoc tamen per causas medias siue ὁργανικὰς efficit. 2. Cor. 5. v. 19. 2. Cor. 3. v. 6. Ioh. 20. v. 21. Matth. 16. v. 19.

## XXV.

Neq; igitur hac ἐπιπέσει Calviniana in locum absolutionis Lutherani impingunt, neq; ὑπερβολῆ Pontificiâ, ex ministerio hoc nundinationes in meritum Christi contumeliosas fabricantur: Sed τὸ μέτρον tenentes, Deo potentiam suam propriam tribuunt: Ministerio eam efficaciam quam ex verbo Dei habet, relinquunt. Atq; sic ministerium verbi à virtute Dei non separant sed distinguunt.

## CAPUT SECUNDUM.

De Casuum reservatione.

## XXVI.

Haftenus de absolutione; Sequitur secundo loco capitulum octavum Sess. 4. examinandum, cuius itidem duo sunt membra: I. De jurisdictione in Ecclesias. 2. De casuum reservatione agit. Verumq; autem hoc ut & alij, Esauitarum errores ex vana antiquitatis κακοζηλία originem traxit.

## XXVII.

I. De jurisdictione in Ecclesias. Olim enim ordinis & disciplina gratia, in primitiva Ecclesia institutum fuit, ut quisquis auditorum à suo pastore absolveretur, quippè cui auditorum vita notior sit quam alteri: Ne igitur scelerati à ministris, quibus



quibus illorum vita non innotuit, absolutionem suffurarentur, constitutio hæc de proprio pastore adeundo, recepta fuit.

## XXIX.

Septiceps Romana belua, Papa, κακοζήλωσ hoc imitata sub ἀναδίκμα-  
 & tonitru requirit, non solum ut legitimè Sacerdos sit vocatus: sed etiam ut potestatem à se tanquam summo hierarchâ & principe in illam plebem habeat, quam vel debeat, vel possit absolvere.

## XXX.

Hancq; e mentitam potestatem tam necessariam esse contendit, ut licet absolutio habeat verbum Dei, & fiat à ministro legitimè vocato: Hoc tamen nihil obstante, nullius esse momenti absolutionem, nisi Sacerdos dictam potestatem jurisdictionis, à Papa in se derivatam habeat.

## XXXI.

Ex eadem prosapia etiam casuum reservatio prognata est: Olim enim crimina excommunicatione digna, referebantur ad Episcopos, ut de ipsorum consilio, certa ratio publicæ penitentiae, reis ad ipsorum emendationem, & ecclesie adificationem imponeretur.

II.

Vnde casuum reservatio orta.

## XXXII.

Hinc Romani Pontifices antiquitatis Simij, Casuum reservationes fabricati sunt: De quibus Paterculi Tridentini sub anathemate statuunt, nullum Sacerdotem posse remittere, nisi ea tantum peccata, in quibus ipsi sit potestas à Papa, sive meretrice Babylonica, concessa.

## XXXIII.

Sic vis & potentia verbi Dei, pro differentia eorum, à quibus ministratur variabitur, ita ut per quosdam tantum parva peccata remittere possit, per Papam verò quævis & maxima.

## XXXIV.

Hoccinè est in cælum conspuere? Hoccinè aperire os in blasphemias, ad blasphemandum Deum, & eos qui in cælo habitant? Quid? Num jurisdictionis à Papa concessa remittit peccata? En notam manifestissimam hominis peccati & filij perditionis.

## XXXV.

Christus sanè longè aliter ministros suos, summos, medios, & infimos instituit & ablegat Iob. 20. v. 21. æquali nempe potestate remittendi peccata, nulli omninò hac in parte concedens πρωτείων, vel propter muneris amplitudinem, vel dignitatis sublimitatem, vel donorum ἐξολῶ cum inquit, sicut misit me pater, ita ego vos.

Imò



Imò alibi Apostolos primatum affectantes, Christus graviter objurgat Matth. 18. v. 1. Et 20. v. 25. Luc. 22. v. 25. Sic Apostolus Paulus omnes ministros, quoad potestatem ecclesiasticam æquat, sine ulla exceptione. 1. Cor. 3. v. 5. Hinc præclarum illud Augustini: Verbum Dei dimittit peccata, Sacerdos quidem suum officium exhibet, sed nullius potestatis jura exercet.

Exstruunt autem Romanenses πρωτοκρίσις sive ἐξοχὴν istam, ex ruinoso illo fundamento de Monarchia Petri: ut Bellarm. lib. 1. de Rom. Pont. cap. 10. vocat: pro quâ quam feliciter pugnent in ipso disputationis actu, Deo auxiliante, videbimus.

## CAPUT TERTIUM.

De satisfactionum necessitate &c.

Tres partes tertii capitis. *Caput Octavum ejusdem Sessionis IV. ipsum D. Chemnitium nostrum ἡ τὸ πρῶτον, quod ajunt, secuti, in tres dissepsemus partes. 1. Θέσις sive veram nostram sententiam de satisfactione ex verbo Dei aperiemus & comprobabimus. 2. Originem satisfactionis Pontificiæ paucis investigabimus. 3. Ἀντιθέσις sive erroneas pontificiorum opiniones breviter examinabimus.*

I. Memb. vera sententia scripturæ de absolutione. *Quando de satisfactione agimus tenendum est, tam certò à Deo constitutum esse, quod legi Dei satisfieri debeat ut cælum & terra prius ruant, quàm minima κενώσις sive ἰώσις ἐν legis, sine impletione tollatur & evanescat, docente Christo Matth. 5. v. 28.*

*Ipsè enim Deus legem proprijs suis digitis conscripsit, ipse gravissimas comminationes maledictionum temporalium & aternarum, in monte Hebal promulgavit.*

*Vnde sanè colligere promptum est, Deum peccata in legem suam commissa, non remittere sine sufficientissimâ satisfactione, ita ut per eam, & ira ejus propitiatur, & supplicium peccatis debitum, tollatur.*

*Cùm autem omnes homines, excepto Christo, in legem Dei peccârint, & talem satisfactionem: testante universâ scriptura: præstare nequiverint: Ideo misit Deus filium suum factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret. Gal. 4. v. 4. Rom. 5. v. 15.*

Satis-



XLII.

Satisfecit autem Christus & λύτρον solvit. 1. obedientiâ suâ, quam  
 secundum omnes legis partes, perfectissimam præstitit Deo: Cujus obedi-  
 entia intuitu Deus pater justitiam filij nobis per fidem imputat. 2. Satis-  
 factione absolutissimâ pro pœna nobis debitâ, cuius virtute nobis omnium  
 peccatorum remissio contingit. Jerem. 23. v. 6. & 33. v. 10. 1. Cor. 1. v. 30. 1.  
 Timoth. 2. v. 5.

Dupliciter  
 Christus  
 satisfacit.

XLIII.

Iam hic inter Pontificios & Lutheranos oritur quæstio: An peccator re-  
 spiciens aliâ satisfactione vel saltem quoad pœnam temporalem, suâ vi-  
 delicet vel alterius homuncionis opus habeat? Lojolisæ affirmativam te-  
 nentes distinguunt inter satisfactionem Christi, quâ amicitiam Dei nobis  
 recuperavit, & nostram satisfactionem quam Christus morte suâ nobis  
 promeruit. Bellarm. lib. 10. de satisfactione cap. 5.

XLIV.

Vel ut Colonienses Esauvitæ distinguunt inter justificationem pri-  
 mam & secundam. Nam Christus inquit morte suâ hoc meruit ut cre-  
 dentes imbuantur caritate quæ est prima justitia: Acceptis verò qualita-  
 tibus novis propter Christi meritum, tum homo majorem & auctiorem ju-  
 stitiam, reconciliationem, adoptionem & vitam æternam promereri potest.  
 Censura Coloni: pag. 148. Item Bellarm. lib. 1. de justific. cap. 17. & lib. 2.  
 c. 4.

XLV.

Vtriusq; huius dogmatis semina prima sparsa jam olim fuerunt à  
 Scholasticis, fingentibus Christum primam gratiam meruisse, ut nos ipsi  
 deinceps concurrente libero arbitrio, nobis infusis qualitatibus possemus  
 vitam æternam promereri.

XLVI.

Hinc eò impietatis & blasphemie progressi sunt Monachi, ut non du-  
 bita verint morituris hanc precationē blasphemij plenam præscribere: Do-  
 mine Iesu conjunge quæso obsequium meum, cum omnibus quæ tu egi-  
 sti & passus es. Method: de adjuvandis morit: pag. 27.

XLVII.

Quis verò non exhorrescat vel certè ingemiscat i'la legens? Quod si  
 enim vera sunt isthæc, quid tandem merito Christi tribuemus? Omnia e-  
 nim præstat satisfactio nostra. Et sanè atrocior est hæc impietas, quam ut  
 operosa refutatione indigeat quippe cum scriptura ἀντιπατικῶς pug-  
 nans.

XLVIII.

Quomodo enim quæso stabunt paradoxa isthæc Esauvitica cum dicto  
 illo Pauli 2. Timoth. 1. v. 9. Deus salvavit nos non ex operibus nostris, sed

B

82





ex sua gratia, que data est nobis in Christo ante tempora secularia. Iam  
verò inherentes illa qualitates gratia nobis data πρὸ χρόνων αἰώνιων da-  
ci non potuerunt: siquidem nec Iohanna nec quispian hominum ab æ-  
terno extitit.

## XLIX

Hinc ἐξ ἀνάγκης concluditur secundum illum modum, datam esse no-  
bis hanc gratiam, qui in mente Dei aeterna, solum verè & realiter existit,  
quem scriptura λογισμὸς nominat: Ratione cuius Deus sola motus sua  
misericordia, sine ullo qualitatis intuitu, jam inde ab aeterno salvare de-  
crevit eos omnes, quos in Christum perseveranter credituros prævidit.

## L.

Et quid multis opus, cum gratia & opera ἀντιθέτως opposita  
sint? Rom. 11. v. 6. Si enim inquit Apostolus ex gratia, si non ex operibus  
alioquin gratia non esset gratia: Si ex operibus jam non ex gratia, alioquin  
opus non esset opus.

## LI.

Ex quo dicto talem inferimus syllogismum, omnibus Esau vitis vel  
in unum Chaos confusis solutu impossibilem: Quæcumq; sunt oppositi ge-  
neris, ea eandem significationem habere nullo modo possunt: At gratia &  
opera oppositi sunt generis: E.

## LII.

Nec quidquam hic jurat Esau vitas distinctio illa inter opera renato-  
rum & non renatorum: Indefinitè enim omnia opera & quidem contra-  
dictoriè distinguit Apostolus, usq; adeò, ut nullo prorsus pacto, opera quas-  
liacumq; tandem sint, sub gratia complexum venire possint.

## LIII.

Sed excipit h'c Bellarminus opera esse effectus gratia justificantis: E-  
bãud ita ἀντιθέτως opponi gratia. Verum respondeo Cardinale non com-  
mittere sophisma παρὰ τὸ πᾶν καὶ ἀπλῶς. Inter gratiam enim justifican-  
tem & opera non simpliciter per se & ratione essentia, sed ratione unius  
ejusdemq; effectus, qui in justificando consistit, ἀντιθέτως insit ut Aposto-  
lus, ut si justificatio adscribatur gratia, non possit operibus adsignari, ac  
vicissim, si operibus tribuatur, nullo modo gratia tribui queat.

## LIV.

Nec unius teruncij est exceptio ista, qua dicunt duo in quolibet pec-  
cato sp. Etanda esse culpam & poenam: illam, Christum suo merito: Hanc  
nos nostris satisfactionibus expiare.

## LV.

Expiari autem à nobis poenam vel in hac vita, operibus satisfactorijs,  
contendunt, ut oratione, jejuniis, elemosyna: Vel post hanc vitam in pur-  
gatorio.

Expia-



## LVII.

Expiationum autem istarum siue satisfactionum quinque constituunt <sup>Quintus</sup> gradus. 1. Operum indebitorum, qualia sunt peregrinationes, rosaria, certorum dierum jejunia, oblationes cereorum. 2. Cooptationis in Collegia <sup>gradus sa-</sup> Monachorum. 3. Meritorum sanctorum defunctorum. 4. Purgatorij. 5. Vigiliarum & missarum funebrium Bellarm. Tom. 1. fol. 1883. & Tom. 2. fol. 142. <sup>tisfactio-</sup> nis ponti-  
ficis.

## LVIII.

Hoc sanè est illud Augiæ stabulum blasphemiarum scatens stercoreibus, quod verbi divini palà facile repurgatur. Christum enim, ut pro culpa, sic etiam pro pœna satisfecisse manifestissimè docet Esa. 53. v. 5. Et I. Pet. 2. v. 24. & c.

## LIX.

Et cum maledictio legis, nihil sit aliud quam ipsa pœna: Christus verò factus pro nobis  $\kappa\alpha\tau\ \acute{\alpha}\gamma\alpha$  maledictum Gal. 3. v. 13. vel inde evidentissimè concluditur Christum etiam pro pœna tam aternâ, quam temporali satisfecisse.

## LX.

Quid? Quod liberatio à pœna, à satisfactione culpa nulla ratione separari potest. Exspirante enim culpa seu reatu, exspirat etiam pœna: Siqui deen pœna nihil quidquam punit aliud, quam peccati reatum.

## LXI.

Et sicuti princeps aliquis bis injustus foret, si remissâ culpâ furti, ipstè nihilominus furem in crucem adigeret: ita injustitiæ suspicio in Deo maneret, si remissâ culpâ adhuc pœnam exigeret: Vel pro vna culpa, geminam satisfactionem: Vnam à Christo; alteram à peccatore exposceret.

## LXII.

Neq; obstat πολυθεύδικοι illud Bellarmini objectum, quod pijs remissa culpa aliquando calamitates immittantur: illæ namq; nullum respectu satisfactionis obtinent, imò nec pœnæ, cum non ab irato Deo, sed tanquam à propitio Patre, propter certos fines, de quibus postea, proficiscantur.

## LXIII.

Vnde tandem concludimus, mixturam illam Esau viticam satisfactionis nostræ cum merito Christi, merum & putidum esse figmentum diaboli & Antichristi Romani & venenum illud lethale  $\kappa\epsilon\iota\delta\ \omega\upsilon\ \kappa\alpha\iota\ \sigma\ \kappa\omicron\sigma\tau\omega\upsilon\mu$  Apoc. 9. v. 3. h. e. Esau vitarum, omnibus Christianis summo studio cane & angue pejus fugiendum & cavendum.

## LXIV.

In reconciliatione ergò hominis peccatoris cum Deo nullo nostro meriti aut satisfactione, quæ nulla est, sed simpliciter gratia Dei & suffuene



tiſſima Chriſti ſatisfactiōe in ara Crucis preſtita. nitendum: ipſe enim eſt  
 ἰλασμός ἢ ἀντίλυτρον pro peccatis noſtris 1. Ioh. 1. v. 2. 1. Timoth. 2. v. 4.  
 Et ἰλαστικός illud unicum quod Deus miſeris peccatoribus propoſuit:

II. Memb. Rom. 3. v. 25.

LXIV.

De origi-  
 ne ſatisfa-  
 ctionis  
 pontificiæ,  
 & vero ſta-  
 tu quæſtio-  
 nis de ca-  
 lamitati-  
 bus recon-  
 ciliato-  
 rum.

Atq; hæc de ipſa noſtra theſi: Quia vero nomen ſatisfactiōis Eſau vi-  
 ta ſemper ingemunt; illudq; in primitiva eccleſia uſurpatum ſummopeo-  
 re uigent: Neceſſum eſt, ut in nominis huius a uos & pro a uos paulò accu-  
 ratiuſ inquiramus: Quo factò, uerum ſtatum. Quæſtionis de calamitati-  
 bus reconciliatorum, antequam ad ἀντίδεοις accessum faciamus, ſiga-  
 mus.

LXV.

Quando ſatisfactiōis proſapiam indagamus, inuenimus ex historijs,  
 eam in primitiva eccleſia fuiſſe Canonicam ſeu diſciplinarem. Notorios e-  
 nim peccatores. uetus Eccleſia non ſine certis Eccleſiaſticis pœnis in gre-  
 mium ſuum recepit, ſed quinque gradus reſtitutionis illi uſitati fuere.

LXVI.

Quinque  
 gradus re-  
 ſtitutionis  
 lapſorum  
 in primiti-  
 ua Eccle-  
 ſia.

I. Diſtus πρὸ κλάυσε; quaſi proſletus, cogebantur enim recipiendi in ſo-  
 cietatem eccleſiæ, ſtare induti uſtibus nigris & lugubribus per aliquos  
 dies, tanquam ſignis reatus, idq; extra portas oratorij ſive templi, & ab in-  
 gredientibus, ut pro ſe orarent, petere.

LXVII.

II. Diſtus ἀκρόασις ſive auſcultatio, ſtabant enim intra templi portam  
 poſt κατήχησέντες, in certo loco, qui à ſerula uάσθηκα dictus, nec progredie-  
 bantur ulterius, ut indigni qui precibus piorum intereſſent.

LXVIII.

III. ὑπόπτοσις dicebatur, h. e. conſpectus, quo jam pœnitentes in conſpe-  
 ctum eccleſiæ producebantur. LXIX.

IV. σύςιοσις appellatus ſive conſociatio quo jam cum fidelibus ſtabant.

LXX.

V. μέθεξις Participatio nominatus, quo admittebantur ad communionem  
 & reliqua Sacra.

LXXI.

Impoſuit autem uetus Eccleſia τιμωριæ: iſtas, non ut meritoria, aut  
 ſatisfactiōes pro peccatis eſſent ſed propter hæc ſequens, & id genus  
 alias cauſas.

LXXII.

Quare pri-  
 mitiva Ec-  
 cleſia im-  
 poſuit lap-  
 ſis ſatisfa-  
 ctiones.

1. Ut lapſi cogitarent de imbecillitate humana & magnitudine peccato-  
 rum, ut ſic diligentiores eſſent in cauendis lapibus. 2. Erant exploratio,  
 quæ oſtendebat pœnitentiam ſeriam eſſe. 3. Ut alij publica iſtâ ignominia  
 à delictis abſterrerentur. 4. Ut eſſent publicum teſtimonium de lapſis re-  
 cipientibus.



745.  
cipiendis. 5. Testabantur hac spectacula ecclesiam non docere libertatem  
peccandi, nè propter lapsos verbum Dei malè audiret. Rom. 2. v. 24.

LXXIII.

Quam Ecclesiasticam disciplinam, tam non improbamus, vt illam cer-  
to suo modo, pro ratione cuiuslibet loci & ecclesie, etiamnum hodie in-  
stitui posse ac debere existimemus.

LXXIV.

Quoniam autem sic recepti simulatione pœnitentiæ, postea ecclesiam  
sæpè turbabant, magnâ severitate in injungendis pœnitentiis istis cepe-  
runt vti veteres, ita vt de impositis satisfactionibus illis per indulgen-  
tiam sæpè remittere aliquid cogerentur.

LXXV.

Aliquos enim 30, aliquos 25, aliquos 10 annos &c. à communionem ex-  
cluserunt, vt in canonibus pœnitentiæ Concilij Ancijrani, Niceni,  
item ex Buchardi lib. 9. & canonibus pœnitentiæ Gratiani videre est.

LXXVI.

Inuentum itaq; fuit artificium à receptis redimendi impositas satis-  
factiones per commutationem, vt scilicet jejuniis redimi posset elemosy-  
na aut oratione. Postea pecuniâ redimi ceperunt, donec tandem in me-  
ras nundinationes abirent.

LXXVII.

Superstitiosa tandem opiniones istis ex veterum hyperbolicis locutio-  
nibus adjectæ sunt. Quo enim magis illas satisfactiones hominibus com-  
mendarent Patres, sæpè cohortatorie magis quam verè dicebant peccata  
istis purgari, compensari, regi, iudicem placari, &c.

LXXVIII.

Vltimò, post hæc satisfactiones, quæ ante absolutionem exigebantur  
accessit insuper aliud genus satisfactionum operum indebitorum seu su-  
per erogationis, quæ post absolutionem implendæ injungebantur.

LXXIX.

Has deniq; Scholastici & Monachi magnificis suis de veterum satisfa-  
ctionibus declamationibus, intricatis disputationibus & hyperbolicis lo-  
cutionibus Colophona addiderunt.

LXXX.

Atq; hæc est infantia, ætas media, & ipsa à Pontificiarum satis-  
factionum: Nunc verum statum questionis de pœnis temporarijs quæ  
post remissionem peccati reconciliatis à Deo ireogantur, ponamus.

Verus sta-  
tus quæ-  
stionis de  
castigatio-  
nibus fide-  
lium.

Pœnas



## LXXXI.

Pœnas aliquando temporales post remissum peccatum fidelibus à Deo imponi testantur exempla scripturæ plurima v. Protoplastorū Gen. 3. v. 16. 19. Davidis 2. Reg. 12. Item calamitates infantium baptizatorum.

## LXXXII.

Rursus aliquando non imponi castigationes temporales testantur exempla Paralytici, Magdalena, Publicani, Zachæi, Petri: De quo Augustinus in hunc modum inquit: Lachrymas ejus lego, satisfactionem ejus non lego.

## LXXXIII.

Quæstio itaq̄ inter Lutheranos & Pontificios non est, an imponantur calamitates post remissam culpam ( ut perversè Bellarm. lib. 4. de pœnit: cap. 1. Statum quæstionis invertit ) sed quare & in quem finem à Deo imponantur.

## LXXXIV.

Fines calamitatum  
piorum.

Quamvis autem castigationes tales non statuamus cum Pontificijs esse meritorias, certis tamen de causis à Deo immitti asseveramus.

## LXXXV.

1. Enim vel sunt δὸκιμασίαι fidei, invocationis, patientiæ &c. 2. Vel τιμωρίαι cum cæterorum delictorum, tum imprimis interioris immunditiei in sanctis reliquæ. 3. Vel sunt μαθήσια doctrinæ & vitæ æternæ secutura.

## LXXXVI.

Merito itaq̄ impium illud & in Christi passionem blasphemum Tridentini Concilij, Bellarmini, & reliquorum Lojolistarum emblemata ad inferos relegamus, quo ita de calamitatibus renatorum concludunt: Sicut Christus passione sua pro peccatis nostris satisfecit: Ita & nos satisfaciendo patimur pro peccatis.

## LXXXVII.

III. Memb.  
Examen  
Φλαγίσκου  
Patrum  
Tridentis  
norum.

Hactenus de ipsa thesi, item satisfactionum origine & in abusum traditione: Restant jam ultimo tandem loco rationes patrum Tridentinorum examinanda, quibus homines pro peccatis commissis quoad pœnam temporalem Deo satisfacere posse, probare conantur.

L Argu-  
mentum.

## LXXXVIII.

Primò quidem repugnare dicunt justitiæ divinæ, si Deus lapsos post



post baptismum sine satisfactione propria sicuti ante baptismum, in gratiam recipiat.

LXXIX.

Verum Respondeo sanctos illos patres τε επ' αρετων εὐσεβειαν: probandum enim ipsis erat iustitiae divinae repugnare quod Deus penitentes solum propter satisfactionem Christi in gratiam recipiat; Deinde impium αθεολογον παραδοξον introducunt, dum alium mediatorem post baptismum, alium ante, contra luce meridiana clarius dictum 1. Ioh. I. v. 1. comminiscuntur.

LXXX.

Alterum argumentum petit conciliabulum istud ex cap 2. ad Phil. I. II. Argumentum 13. ubi inquit Apostolus: Omnia possum in eo qui confortat me: E. et mentum. iam pro peccatis satisfacere.

XCI.

O stupendam αγνοιαν ελεγχεται loquitur enim Paulus dicto loco, non de redemptionis opere; sed de rebus prosperis et adversis, quibus se recte vii posse affirmat auxiliante Spiritu Sancto. Restringant igitur sophista isti universalem illam: Non enim Paulus potest mundum redimere mortem destruere &c. Hoc enim Christi proprium πρὸς εὐερίαν est. Colo: 1. v. 18.

XCII.

Eiusdem valoris est etiam hoc tertium argumentum: in Christo vivimus: E. in Christo satisfacere possumus: III. Argumentum

XCIII.

Num hoc sit in decantata illa forma disputare, ipsi Suieta videant. Imò hæc neq; Dialectica, neq; Sophistica, sed Sycophantica sunt. Idem enim est ac si dicerem: in Christo sumus: E. Cælum et terram regere possumus. Quis tales disputatores ferat? Rem quod attinet, Solus Christus torcular calcavit, et de populis non erat vir cum eo Esa. 63. v. 3; Apoc. 19. v. 15.

XCIV.

Contra hanc solutionem ad rationem usq; organit absurdus ille pseudo-Instantia: prohetes Bellarminus, (cu. us portio cum bestia est λιπαρη illa τῶ αυτος Bellarmini. κωρομενη τῶ θεῷ. Apoc. 19. v. 20.) inquit hoc argumentum non solui si dicatur Christum aliunde satisfacisse, quia Christus amicitiam recuperavit, et penam sempiternam transiit, nobis autem sua satisfactione





Etione applicat, ut nos ipsi qui Deum offenderimus, eidem nostro labore  
satisficiamus.

## XCV.

Respondeo hanc blasphemiam ἐντασιν meram ἀδολοχίαν ἢ κοκ-  
κυσμὸν esse. Hoc enim ipsum Cardinali vel minimo apice Scripturæ  
(quod tamen in æternum facere non potest) probandum erat, Christum  
videlicet, ideo passum esse ut nobis promereret vim satisfaciendi pro  
peccatis vel pœnis peccatis debitis.

## XCVI.

V. Argu-  
mentum.

Quartò non minus εἰς ἰδίαν αὐτῶν ἀπόλειπ σρεβλῶσιν, illud  
Matth. 16. v. 19. Et 18. v. 19. Quaecunq; solveritis &c. Et ligaveritis &c.  
E. inferunt quemadmodum Sacerdotes à peccatis pœnitentes absolvere, sic  
etiam eosdem ad pœnam temporalem ligare debent.

## XCVII.

Respondeo hic patrescum hyperaspise Bellarmino committere sophis-  
ma παρὰ τὸ χῆμα τῆς λέξεως ἢ ἀγνοίας ἐλέγχω. Ligare enim non si-  
gnificat pœnam temporalem imponere, sed voce legis, impanitentibus re-  
gni cœlestis januam occludere, solvere contra significat Job. 20. v. 23.  
Luc. 24. v. 47.

## XCVIII.

Reliquis tam Tridentinorum Patrum, quam Bellarmini & reliquo-  
rum Esauvitarum sophismatis ὅτε γῆς ὅτε θεοῦ ἀπτομένοις hic αὐ-  
τομάτως supersedentes, Christum unicum nostrum μεσικτὴν ἰλασμοῦ  
καὶ ἀντιλυτροῦ rogamus, ut peccata nostra verè agnoscamus, vnicè ἡ-  
jus satisfactioni perfectissimè adhæreamus, vnicè nos in veritate Eu-  
angelij per Spiritum Sanctum sanctificet & confirmet, cui glo-  
ria & honor perennis; Esauvitis verò inimicis Crucis  
Christi, interim tamen σουρολάτρου, confusio  
in æternum. Amen.

F I N I S.



99 A 6902

ULB Halle

3

002 064 405




17470c

Retro

VD17











733.  
36



CHRISTO  
EXAMINE  
FRIDENTINI,  
ET CLARISSIMI  
MARTINI CHEM-  
TII  
TIO XVIII.

ificia complectens capita:  
tione.  
necessitate.  
ιάσκεψιν  
Prasidio

S GESNERI,  
fl: publ. in Academia VVi  
29. in Templo Arcis Elect.  
et proposita

THEODORI  
molando.  
r. 5. v. 19.  
ορ καταλάσσωρ έαυτῶ, μη λο-  
ραπτῶματα αυτῶρ, ηθ θεμε-  
της καταλλαγης.  
s Meisnerianis. Anno 1604.

